



1. Disputatio de Providentia  
disput. de Vera Dei. In creatione.  
Itemata (1) de verbo dei. (2) de deo ipso.  
Et peccato.  
Et Pardificatione et bonis operibus.  
Et communicatione idem natura.  
De claris regni coelorum.  
De preciosis capitibz doctrina et angelica.  
Adiutoria vera doctrina de defensione et angelicis.  
De persona Christi, de unione spiritus in Christo, de unitate  
sanctorum communione: Veray presentia corporis et  
sanguinis Christi in ecclesia.  
De peccato originis.  
De Exorcismo.  
De superna doctrina. Ecclesiastica.  
De duabus naturis in Christo.  
De ecclesia Domini.  
De visitatione ecclesiastica.  
Oraciones.  
Luc 11. Und dominus noster debet benedict etc.  
Luc 22. Und fest habet dominus regnum etc.  
Matth. 10. Deb servos tuos sicut deb servit.  
Matth. 11. Ite omnes ammuntur regnum dei. deb labor.  
Corint. 11. Officio tuo debet habere omnia regnum.  
Q. 133. Und gratias regnum habet.

17

DE VISITATI-  
ONE ECCLESIA-  
STICA

DISPUTATIO

IN QVA

SVB AVSPICIIS DEI

Opt. Maximi

PRAE S I D E

GEORGIO MYLIO

D. ET PROFESSORE

THEOLOGIAE PRIMARIO,

respondere pro virili

conabitur

M. MICHAEL HOPFIVS ROT-

tenburgo Tuberanus,

24. Martij, loco & hora consuetis.

15

93.



IENAE

Typis Tobiae Steinmanni.



GENERO SO ATQVE IN-  
CLYTO DOMINO REIMBERTO  
A POL HAIM, D.N. IN LICHTEN-  
eck, Libero Baroni Austriæ, Domi-  
no suo clementi S. P.



**E**stis est Socrates Hist. Eccles. l. 4. cap.  
26. Sauromatas, cum Valentiniano Imperan-  
te in Romanorum fines impressione facta Im-  
peratorem cum ingentibus copijs sibi obuiam  
proficiscentem accepissent, nuntio isto territos, legatos  
misisse, qui fædere pacto, pacem ab Imperatore postulas-  
sent. Hos igitur cum vili ac sordido nimis habitu in  
conspectum sunm progressos, Imperator sciscitatus, ecquid  
omnes Sauromata sic comparati essent, hoc responsi ac-  
cepisset, Sauromatum facile optimos ad ipsum aduentasse:  
Imperatorem ira vehementissima concitatum, in clamo-  
rem erupisse hisce verbis, Malè agi cum Rom. Imperio,  
cuius fines gens tam vilis atq; sordida populari, & bellum  
ipsi inferre animo confidenti ausa fuerit. Iudicauit ni-  
mirum Imperator magnanimus, maiorem videri Imperij  
Romani maiestatem debuisse; quam cuius fastigium vela-  
ticari nisi à gente potentissima, & neruis bellicis instru-  
etissima par fuerat. Iudicamus & nos, quin imò iudi-  
cant omnes verè pīj, religionis eius, quam Augustana  
Confessionis Ecclesia in his regionibus profitentur, digni-  
tatem esse ac reverentiam tantam debere, ut nefas vide-  
ri debeat, eam à fanaticis, maximè Sacramentarijs im-  
pugnari atq; impeti, maximè cum ea iam pridem religi-  
osa pacificationis pragmatica sanctione (cuius beneficio

frui nunquam hactenus Sacramentarijs datum fuit) locum cum auctoritate in Imperio Romano obtinuerit. Verum sit prob dolor, & fit indignissime, à sordidissima & prophaniſſima religionis hominibus, quorum nec audiri quidem aut tolerari nomen ac religionem in Imperio Rom. par fuerat, ut confidenti animo impetrare Religionem in Imperio cum autoritate confirmatam, Ecclesias à p̄f̄m̄is principibus optimè constitutas impugnare audent. Cuius rei specimen nobis isti homines dare nuper non sunt veriti, cum Administrater Electuræ Saxonicae illustrissimus suo usus iure, sic omnibus volentibus prouinciarum omnium ordinibus, visitationem in Misnia instituere atq; ad rationes Confessionis reddendas vocare subditos suos cepisset. Quod illi factum non Theonino tantum dente rodere, Theristica procacitate sugillare: sed indicij etiam sumpto supercilie, ceu requisiti ad hanc rem & cum auctoritate constituti iudices atq; arbitri, notare, carpere, indicare, damnare ausi sunt. Audax est nimis atq; proteruum hoc Sacramentariae gentis facinus, nec Theologorum magis scriptioribus, quam ordinum Imperij proscriptionibus tandem coercendum atq; vindicandum. Quod ne tamen ita impunē isti ferant, ut vel neglegi illud putent, vel probari à multis, saltem vero metui: partium nostrarum esse iudicamus, fædissimas istas aspergines Sacramentariae cohortis à laudatissimis optimorum Principum atq; ordinum factis abstergere: in primis iuuentuti scholasticæ, cui libelli Sacramentarij non raro in manus deueniunt, qua confidentialia, qua temeritate, qua impietate de tantis factis Principum atq; ordinum Euangelicorum Sacramentarij iudicent, monstrare. Quid in articulis, quos vocamus, Visitatorijs isti carpendum sibi sumperint, quam id nequiter atq; impie fecerint,

fecerint, proximis disputationibus docebitur. In opere  
ipso Visitationis, quid culpare isti homines in animum ins-  
duxerint, nunc fert animus ad Lancem Theologicam ap-  
pendere. Cuius iudicij, quia tu illustris ac generose  
Domine Baro estimator uti pius, ita oppido scitus ac fidelis  
esse potes, qui in Theologicarum rerum studio atq; inuesti-  
gatione operam hactenus posuisti, quam pro etate ma-  
torem & quantam alius tui ordinis nemo quisquam posu-  
isse facile reperietur: ad te negotium hoc deuoluere, tibi  
συγνότεροι istius positiones dedicare, tegit etiam atq; etiam  
rogare libuit, ut quod fecisti hactenus aliquoties, idem  
nunc etiam facitare, & de causa ista iudicium tuum in  
publico proferre, ambigua in hac materia ventilare, in-  
tricata euoluere, concisa excutere ne graueris, atq; sic o-  
mnino in ponderanda hac materia versari, ut meditati-  
onum tuarum fructus ad scholas nostras iterum amplissi-  
mus redeat. Feceris hoc ordine tuo minime indignum:  
nobis vero ita gratum, ut quod est omnium gratissimum.  
Vale. Ex Musao nostro 16. Martij 1593.

IENAE.



A 3

CVM



I.



V M V A R I A E S I N T  
V I S I T A T I O N V M S P E C I-  
es , & diuisiones multiplices: ea vna dun-  
taxat nobis in hoc instituto seruit, qua ab  
occasione & causa facti petita , in ordina-  
riam siue consuetam , & in extraordina-  
riam siue solennem visitatio distinguitur.

II.

Priori illa nunc omissa , de extraordinaria siue solen-  
ni hoc loco tantum agimus , eorum lacesiti improbitate ,  
qui de hac partim nostro magistratui , partim consonantia  
fidei sociatis Ecclesijs dicam scribere non erubescunt.

III.

Eam verò appellamus , qua magistratus facta aliqua  
sincerioris doctrinæ inclinatione , vel optima , vel maxima  
Ecclesiæ consentiente parte in religionem subditorum ,  
quorum vel falsam atque hæreticam esse fidem suspicio est ,  
vel perspectam esse , publicè interest , per idoneos censore-  
res ad certa capita inquisitionem facit , & vt de pio in veri-  
tate consensu constet , consentientium documentis licitis  
& consuetis dissentientium verò vel institutione mansueta ,  
si se dociles præbeant : vel si præfracti & contumaces esse  
pergant , animaduersione debita efficit .

IV.

Caput & originem instituti huius ad magistratum po-  
liticum referimus , non quemuis quidem : sed eum , penes  
quem est summa rerum , Principem scilicet .

V.

Magistratui enim non secundæ tantum , sed & primæ  
tabulæ custodiam incumbere , præterquam quod commu-  
ni piorum consensu receptum est , diuinæ etiam legis con-  
stitutione

stitutione manifestè constat , quæ legis descriptæ exemplar Deut. 17.  
semper in promptu esse Regi debere edixit , cuius assidua 18.  
lectione de partibus officij sui tum publicis , tum priuatis  
rectius erudiri queat.

### V I.

Exemplis etiam laudatissimorum Principum idem  
constat , non prisorum tantùm illorum , Iehu. 4. Reg. 10.  
Hiskiæ 4. Reg. 18. Iosiaæ 4. Reg. 23. sed eorum etiam , qui  
sub noui fœderis gratia , rerum in orbe Christiano sunt po-  
titi.

### V II.

Memorabile est , quod de Constantio Chloro , Con- Lib. 1.  
stantini illius M. patre in vita Constantini , literarum mo-  
numentis prodidit Eusebius , quod exploraturus quondam  
aulicorum suorum in fide Christiana constantiam , edixerit  
lege publica , vt vel idolis sacrificarent , qui in aula essent  
mansuri : vel eadem excederent , qui id facere recusarent .  
Cum plerique metu incommodorum , ad imperata Prin-  
cipis facienda se accingerent , Principem animi sui sensu  
prodito , aula Vertumnos istos expulisse , addita hac gno-  
me , Nunquam Principi fidem bonam præstiturum , qui in  
D E V M perfidus fieri non vereretur .

### V III.

Procopium historicum vitio vertere Iustiniano Imp.  
annales tradunt , rerum spiritualium curam , quasi qui ἐτε-  
γε διέτειν ταχθεῖς , ἐτέροις ἐπεχείρουσε , quod Constantio Imp. Le-  
ontium Lydorum Episcopum dixisse memorant historiæ .  
Sed nobis tum censura hæc Procopiana probabitur , cum  
ille alienum ab officio Principis τάγμα esse probauerit re-  
rum spiritualium curam .

### I X.

Nobis Isidori illud magis arridet , Cognoscent Princi-  
pes seculi , D E O debere se rationem reddere propter Ec-  
clesiam , quam à C H R I S T O tuendam suscipiunt . Nam  
siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Princi-  
pes , siue soluatur : ille ab eis rationem exiget , qui eorum  
potestati Ecclesiam suam credidit .

De summe  
bono l. 3.  
c. 53.

Nec

## X.

Nec est hoc sanctioni pacificationis religiosæ , cuius sacrosancta meritò in imperio est autoritas, dissentaneum. Quia enim pacis publicæ beneficio religioni nostræ concessa, expirare in Ecclesijs Euangelicorum Principum iussa fuit Papalis illa Episcoporum Romanensium Iurisdictio : tota illa constituendæ tranquilitatis Ecclesiasticæ cura in Principes deuoluta esse haud abs re creditur. Ut mirari nuper animum subierit stoliditatem fanatici cuiusdam hominis , qui Visitationis Misericordiae instituto sese subducturus , tergiuersationi suæ hoc prætexere non erubuit . Quod reformatæ religionis cura ad præfulem Magdeburgensem , primatem nimirum per Germaniam, ex officij ratione pertineat.

## X L

Libet hoc loco illud aspergere , tutissimè in hoc genere à Principe procedi , si non suo tantum arbitratu in hoc instituto fruatur : sed consensu ordinum Ecclesiæ vel plurimorum , vel optimorum sese instruat. Legi enim quam ipse tulit quisq; libentissimè postea subiacet.

## X II.

Cæterum Principes facere dicuntur , quod faciunt per alios , siue paucos , siue multos , prout usus postulare videtur : saltem vero idoneos atq; aptos.

## X III.

Aptitudinem autem metimur , non celebritate nominis , non professione ordinis , aut similibus rebus : sed grauitate partim , dexteritateque iudicij , qua recessus animorum explorari , strophæ hominum sp̄c̄lāw agnosci queant : partim etiam Zelo pietatis , scientia rerum Theologiarum , ac facultate ēquacutam , qua possint isti velut delegati cum moderatione debita , vel flectere errantes ex simplicitate : vel confundere eos , qui in pertinaciam erroris animos suos affirmarunt.

## X IV.

Nec numerus hic attenditur , vel quo isti apud aduersarios loco sint , spectatur : sed satis est , si apud socios confessionis testimonio sinceritatis valeant. Imò quo isti in maiori

maiori sunt aduersariorum odio , eò sinceritatis laude certiore eos valere indubitate creditur.

X V.

Sub inquisitionem Visitationis meritò vocantur, si itares & vsus postulet , omnes subditi.

X VI.

Cum enim ad respondendum cuilibet rationem spei, quæ in nobis est , poscenti : paratos esse D. Petrus iubeat 1. Pet. 3. pios omnes , cum mansuetudine & timore , siquidem boni 15. nam conscientiam habeant : quis magistratui soli detrectabit obsequium , quod sine discrimine debetur omnibus , quin vel rebellionis sceleri , vel impietatis criminis sese manifestò implicet , aut quod Apostolus præsumit , illicò se non rectè sibi concium esse , palam ostendat.

X VII.

Si publica hanc vniuersalem inquisitionem non exigit necessitas , aut rerum etiam ipsarum usus non ferat : duo sunt potissimum ordines , qui Visitationis censura minimè prætereundi sunt.

X VIII.

Prior eos continet , quorum vel suspecta saltem fides est ac religio : vel notoriè falsa . Vtriq; enim cum non sibi modò noceant : sed exemplo etiam suo partim , partim turbatione & seductione recte sentientium , ad Rempublicam orbis Christiani , plurimum detrimenti afferant : interest sanè Principis , ne & sibi relictus quisq; , male existimationi ac saluti suæ consulat : & semel veneni aspersa lues , cancri instar , teste Apostolo , serpens , contagio suo alios 2. Tim. 2. atque alios subinde inficiat.

17.

X IX.

Alter ordo eos habet , quorum perspectam esse fidem atque religionem , publice interest . Quo in numero sunt primum beneficiarij atque alumni : tum officiarij , quos vocant , quos in publicis constitutos vel dignitatibus , vel muneribus , causam religionis , si de ea recte sentiant , multum adiuuare : sin alieni sint ab eadem ; plurimum religioni incommode posse , & verò plerunq; solere etiam , experientia magistra nimis est compertum .

B

Hoc

XX.

Hoc ergo computo recensemus non Ecclesiarum tantum ministros, scholarum moderatores, Academiarum Professores, Iureconsultos, Medicos, Philosophos, sed Principum præcipue consiliarios, præfectos prouinciarum, Ecclesiarum patronos & collatores, quæstores, consules urbanos, Senatores oppidanos, & quorumcunque cum potestate aliqua officium coniunctum est, qua abuti in detrimentum religionis queant, si perperam de ea sentiant.

XXI.

*Matth. 16  
15.* Apparet plane, Christum ipsum facto suo hac de re admonere Ecclesiam voluisse, dum habita in vulgi iudicia de se inquisitione, tandem quid Apostoli de Christo sentiant, ipse exigit.

XXII.

*Ioan. 2.  
25.* Non erat Christo opus, ut quisquam testimonium ferret de homine. Ipse enim norat quid esset in homine.

XXIII.

Qui ergo factam à Christo inquisitionem istam in confessionem Apostolorum ita putant, ut quod lateret ipsum, sibi ille voluerit innotescere per confessionem apertam: hi cùm de Christo ipso indigne sanè sentiunt: tum facti veram rationem nulla sui parte assequuntur.

XXIV.

Quid igitur? proprio testimonio de confessione Apostolorum publicè constare interfuit. Ad eam igitur sibi non ignotam cùm propter ipsos Apostolos, tum propter Ecclesiæ usum edendam C H R I S T V S illos adhibuit, ut in pari causa, par valeret posteris temporibus ratio, & non ignotam pij Principes patarentur esse eorum de religione sententiam, quam perspectam esse publicè cum ipsorum, à quibus requiritur, tum aliorum etiam plurimum interest.

XXV.

Iniquè hoc ferunt Iureconsulti, Medici, Philosophi, qui sibi cum controversijs religionis negocij nihil esse causantur: In primis rem noui exempli, & Principum autoritate indignam esse dicitant aularum proceres & Principum consiliarij.

Illis

XXVI

Illis hoc responsum volumus : Et male quidem. Cum 1.Thess.5.  
enim examinare dogmata omnia , & spiritus, num ex Deo 21.  
sint , probare , sacra oracula iubeant: cuius impotentiæ 1.Ioan.4.  
mentis est , sibi nihil cum controuersijs religionis esse, pa- 1.  
lam effutire ?

XXVII.

At sic loqui plerunq; experientia docet eos , quibus  
nihil fuit nugacius,nihil negotiosius, nihil occupatius , dum  
fanatici errores & falsa dogmata in Ecclesia hactenus obti-  
nuerunt.

XXVIII.

Hæresis nuper aliqua inualuit , Sacramentarismus im-  
puncte serpere ac grassari cepit : quis controuersias Theolo-  
gicas argutius disputare Philosophis? quis plenius ac pro-  
fundius comprehendere Medicis? quis acutius dirimere  
ac deci ere Iureconsultis potuit? κρητικόν γένος ergo , & sepiæ  
atramenta sunt , quæ isti non alio consilio fundunt magis ,  
quam ut infuscata aqua absconditi latere queant.

XXIX.

Addo & illud, Non inextricabilibus implicari inuo-  
lucris eum , qui requisitus à magistratu , alienum sese à fa-  
naticarum opinionum delirijs esse , profiteri debeat. Nam  
aut nota sunt ipsi deliria ista : sic de rebus notis sententiam  
ferre , aut confessionem edere , graue esse nequit? aut  
ignota sunt : hoc ille confessus , suspicione assensus , affatim  
sese liberauerit.

XXX.

Aularum proceribus & Principum consiliariis liben-  
ter hoc largimur , rem istam noui exempli esse , si nostra  
tempora , si certas aliquas prouincias intelligent. Atqui  
nouitatem istam omnium temporum , omnium aularum  
fuisse olim , aut esse etiamnum vix unquam , ni fallor, obti-  
nebunt ; dubito etiam , an hoc illi sentiant.

XXXI.

Certe Moses Princeps & dux populi Israelitici , para-  
statas sibi delecturus , quorum opera in gubernando popu- Exod.18.  
lo vteretur,in religionem ipsorum,& num Deum timeant,  
inquirere , Iethronis voce tanquam cælesti oraculo admo-  
netur.

B 2

Dauid

X X X I I.

Dauid rex laude atque imitatione omnium piorum  
Principum dignissimus, Oculi mei, inquit, ad fideles ter-  
**Psal. 101.** rae attendunt, ut sedeant mecum: ambulans in via integra,  
6. is ministrabit mihi..

X X X I I I.

Constantij Chlori supra adductum est exemplum, lau-  
de piorum omnium iam pridem longe celebratius, quam  
ut carpi tuperculo cuiusquam hodie debeat.

X X X I V.

Et pessimè hodie cum multis ageretur Principibus  
laudatissimis tum Euangelicis, tum Pontificijs, qui ad col-  
legia consiliariorum non admittunt, nisi quorum explorata  
prius habent de religione confessionem, si autoritas  
Principibus sua, nisi sub ignorata Consiliariorum confessi-  
one constare non potest.

X X X V.

Imò iniquissimè profectò cum Principibus compara-  
tum foret, si in gubernandis constituendisq; tum scholis  
tum Ecclesijs, eorum vti consilijs necessum haberent, qui  
quid de religione sentirent, profiteri ipsi nollent.

X X X V I.

Nouum hoc esse, non imus inficias. Sed illi Eccle-  
siæ haud grauatè iuris id concedent, quo ipsi necessario in  
Politia vtuntur. Nam vt hic ex malis moribus, bona le-  
ges de nouo subinde oriuntur: ita Ecclesiæ usus postular,  
nouis morbis, noua exquirere remedia.

X X X V I I.

Quid autem Religioni detrimenti sit allatum ab ijs,  
qui ad gubernacula consiliorum in aulis sedentes, perpe-  
ram de religione senserunt: Ecclesia magno cum dispendio  
haetenus experta est.

X X X V I I I.

Nemo hic prætexet, turbari in suis functionibus, &  
fatigari homines nouis istis institutis, quæ sint etiam cum  
dispendio sumptuum coniuncta non exiguo.

Esto.

X X X I X.

Esto sanè vtrunque. Nunquid proin tanti hæc momenti erunt, vt salus Ecclesiæ, & religionis veritas propterea periclitari debeat?

X L.

At raritas vtramq; istam difficultatem facile mitigabit. Nam religionis pericula crebra esse, nemo pius optauerit. Et vero nisi hac periclitante, Visitationes istiusmodi instituendas esse, nemo prudens consuluerit.

X L I.

Quemadmodum igitur cætera omnia tempus habent Eccl. 3.10.  
suum, & suis spacijs transiunt vniuersa sub cælo: ita huic etiam instituto suum tempus est, quod inclynatæ religionis turbatæque Ecclesiæ incommodum ostendet.

X L I I.

Utra hoc tempus vt suo more Ecclesiam frui pacatis temporibus meritò sinimus: ita remissi animi & sacrarum rerum plane negligentis esse arbitramur, cum cælum terræ miscere, & agrum Domini Zizanijs oppleere Satan strenuè allaborat, stertore occupatos in Ecclesia villicos secundè in aurem vtramuis dormire.

X L I I I.

Est tamen cautè aduertendum, quis in hoc institutio genere modus obtinere debeat.

X L I V.

Primū capita esse certa necessum est, ad quorum præscriptum fides visitandi cuiuslibet examinabitur.

X L V.

Horum complexu non vniuersa capitum religionis synopsis continebitur: sed quæ in controversiam à turbatoribus rapta depravationem aliquam passa sunt, ea summatim ac perspicuè articulis comprehendi, satis fuerit.

X L V I.

Hos articulos ex suæ confessionis approbata norma petit Ecclesia, & ceu firmos atq; indubitatos sumit: non nova aliqua disquisitione ventilat, multò minus an veri accer-

B. 3. ti sint,

sint, Synodica aliquā cum aduersarijs institutā disputatio-  
ne explorat.

X L V I I .

Elleboro ergo digni sunt Sacramentarij , qui vitio  
vertunt Ecclesijs nostris eorum articulorum Visitatorio-  
rum productionem , qui sint extra conuocationem debi-  
tam , seu Synodum canonisati , vt ipsis loqui volupe fuit.

X L V I I I .

Si conuocationem aut Synodum intelligunt , absolu-  
tē conuentum quemuis , extra quem Visitationis nuper ha-  
bitæ articulos conscriptos esse negent : suo more loquun-  
tur , id est , vana , ficta , falsa , effutiunt.

X L I X .

Sin conuocationem & Synodum appellant , cui aduer-  
sarij etiam publicē sint exhibiti , quaq; de controuersis do-  
gmatibus inter partes dissidentes publica fiat disquisitio :  
agite dum cui vestrati Visitationi deliberandæ , quibus ar-  
ticulis aut statutis Ecclesiasticis condendis in vestro cætu ,  
nostros homines adiunxitis Sacramentarij ? Leges ergo  
quas ipſi non admittitis , alijs impudenter ferre non eru-  
bescitis ? & quæ contra vos statuimus , vobiscum prius de-  
liberanda esse contenditis ?

L.

Forma visitandi non est , nisi inquisitoria partim , par-  
tim didascalica . Quibus enim scrupuli de articulis contro-  
uersis animo nulli inhærent , ab his exquiri sensum suum  
satis est . Si qui verò pendent dubij , aut aduersariorum  
fraude iam pertracti sunt in errorem , hi in viam veritatis ,  
spiritu lenitatis reducuntur .

L. I.

Neutrum horum dominij siue coactionis in fidem at-  
que religionem hominum vel tantillum habere , dici verè  
potest .

L. I. I.

Notum enim nobis est Tertulliani illud ad Scapulam:  
Non religionis est , cogere religionem , quæ sponte suscipi  
debet , non vi .

Quibus

L III.

Quibus partes visitandi demandatae sunt, iij interrogant, docent, erudiant, corrigunt, monent, hortantur, rogan: interdum ubi ad summa peruentum est, minantur. Num hoc dominari est fidei aliorum? num religionem cuiusquam cogere?

L IV.

Nihilo magis in Principibus est, vel ab ijsdem profiscitur in Ecclesijs nostris, quod speciem huius rei habere apud aequos iudices ullam queat.

L V.

Ad subscriptionis necessitatem, inquiunt Sacramentarij, homines dum in Visitatione stricte adiguntur, utique vis haec atque coactio est in religione.

L VI.

An subscriptio ipsa, religio hominis est? Aut subscriptionis requisitio, est ad religionem aut fidem coactio? Atrota sunt haec, & ab ipso rerum factorumque ordine aliena. Nam ad subscriptionem sponte etiam praestandam nemo admittitur, nisi de consensu in religione prius constet, tantum abest ut ad subscriptionem adigatur, quem in religione dissentire vndeconque appareat.

L VII.

Iam si, qui in doctrina consensum profitetur prius, postmodum subscriptione id etiam sua confirmare iubetur: non religionis causa magis, quam politiae agitur, aut certe accidens confessionis magis, quam confessio ipsa agitur, in quo religionis neruum constituere, aut non intelligentis est, aut malitiosi.

L VIII.

Cauillum interpretamur & illud, qua subscriptionem esse nugantur grauem obligationem ad approbationem & defensionem articulorum, & partis aduersae condemnationem.

L IX.

Insunt enim duo in criminatione una figmenta: unum in defensione articulorum: de condemnatione partis aduersae alterum.

Habent

L X.

Habent Ecclesiæ , antistites suos : Academiæ , Professores : Principes , Theologos , in hoc ipsum diuinitus constitutos , ut contradicentes in doctrina arguant , & patrocinium purioris religionis stylo atque ore suscipiant . Quis igitur nisi Sacramentariorum similis , hoc est , vel stolidus , vel improbus in hanc palæstram homines idiotas pertraxerit ?

L XI.

Nihilo verius alterum est , quod de aduersæ partis condemnatione isti comminiscuntur . Habet illa , à quo iudicabitur , Dominum , nisi breui conuersa , Deo veritatis laudem tribuet . Cum personis ergo aduersæ partis nihil hominibus nostris rei est . Hæresin autem & blasphemias doctrinæ , quam pars aduersa profitetur , ut nostri homines pro execrandis habeant , magna pietatis parte defuncti fuerimus , si pro virili ex nostra parte effecerimus .

L XII.

Persecutio noua (pergunt fanatici agganire) visitatione ista instituitur , exilijs homines multantur , dignitatibus exuuntur , priuantur muneribus , orbantur beneficijs . Cuius persecutionis incommoda pertimescentes non parum multi , coactionem sibi in religione inferri nimis grauiter sentiunt : Et alia sunt innumera mala , quæ ex persecutione ista promanant .

L XIII.

Subinde crepant martyria fanatici . Vbi ergo equulei ? vbi rotæ ? vbi rogi ? Percontari desine . Persecutio est ipsis , vbi non ad votum fluunt omnia . Tot igitur martyrum suorum trophyæ statuunt , quotquot suarum voluptatum ac libidinum impedimenta sentiunt .

L XIV.

At sensui orthodoxo ea demum videtur esse persecutio , qua ob veræ religionis professionem aut supplicia ferre aut suorum bonorum iacturam facere cogitur , qui nihil horum vlo modo commeruit .

L XV.

Iam ob falsam atq; exauthoratam religionem in im-  
perio

perio patiuntur Sacramentarij, quicquid patiuntur. Officij ergo, non persecutionis est: iuris est, non tyrannidis: quod hactenus in genus istud hominum statuitur.

### LXVI.

Quod si pro meritis cum plerisque ageretur, & eam iudiciorum lacentem, quæ in politicarum rerum æstimatione usurpatur, experirentur isti homines ab his, qui minimam etiam persecutionis speciem à se volunt esse alienissimam: suppliciorum maior æquitas, quam martyriorum species passim apparitura esset.

### LXVII.

Ecquid est verò, cuius de suo isti apud nos iacturam faciunt? Conditionibus Ecclesiasticis & scholasticis summouencur, qui in hæretico errore peruvicaciter perseuerant. Muneribus publicis exuuntur, stipendijs ac beneficijs publicis orbantur, qui quandoque ne ciuilem quidem, nedum sacram fidem satis ingenuè magistratui, Reipub. & Ecclesiæ probarunt. An suarum rerum, iterum inquam, sic isti iacturam faciunt? nihil minus. Magistratus quod suum est, officia scilicet, dignitates, honores, beneficia, quippe bona publica, non quod istorum hominum est, sibi vendicat: proprium aut priuatum nemini quicquam eripit.

### LXVIII.

At sic libera non est amplius omnibus religio: imo hæc non paucis grauissima est coactio.

### LXIX.

Liberrima planè est: Locus duntaxat religionis suæ fanatico homini liber non relinquitur, præmia libertati isti, ut qui minimè etiam debita, à magistratu non adduntur. Priuatis ergo & sua sorte contentis libera est, & manet religio: sed libera ad sensum duntaxat proprium, non ad detrimentum publicum, aut incommodeum alienum.

### LXX.

Si omni planè severitate abstinentium esse magistrati opinantur, quam in profliganda hæresi ille adhibet,

C

quaq:

quaq; in obstinate peruiacces idem animaduertit ; tam illicò de officio magistratus inique , quam de doctrina ipsa Christi impiè iudicant.

### LXXI.

Nam vt latere patiamur , ea tam præcepta , tum exempla , quibus capitis suppicio animaduersum in falsos Doctores antiquitus fuisse constat , qualia sunt , quod per

Deut. 13. Mosen edixit Deus , Propheta falsus interficietur , lapidis  
5. 10. bus obrutus necabitur : Quod Iehu interfecisse Baaliticos

Deut. 28. flamines , atque in eo placuisse Domino legitur : quale  
20. quid de Elia etiam perscriptum in historia Regum habetur :

4. Reg. quæ omnia partim populi Israelitici iura peculiaria , partim  
10. singularis Zeli propria fuisse facta aduersarij excipient.

3. Reg.  
18.

### LXXII.

Quam exceptionem si ratam esse vndiq; finamus , saltem illud istinc obtinuerimus , si non capitis suppicio , saltem aliarum animaduersionum severitate aduersus turbatores pacis publicæ , & religionis purioris depravatores esse hodiè etiam vtendum.

### LXXIII.

Alia sunt , quæ ad roborandum id , quod carpunt in nostris hominibus fanatici , momenti plurimum habere iudicanda sunt.

### LXXIV.

Apostolus eo tempore viuens , quo magistratus auxilia Ecclesiæ esse parata non poterant , dum hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem vitari vult : quid iam hierarchiæ politicæ , gremio Ecclesiastico insertæ incumbat , haud obscurè ostendit.

### LXXV.

Idem dum in doctrina coniugali errantem , atque ex hoc errore incestuosum facinus admittentem , tanquam 1. Cor. 5. ἀνηγάνθη ε medio Corinthiorum afferri iubet : iterum docet , pio magistratu eos , qui cum falsa doctrina , scandala serant publica , pari cum cæteris subditis loco minime habendos esse.

13.

### LXXVI.

Quid quod grauissimo yoto idem ad Galatas scribens

Bens exoptat, utinam & abscindantur, qui vos conturbant.  
Vnde sic argumentari licet:

Abscissio, quam Apostolus turbatoribus imprecatur,  
non diras tantum atq; anathema spirituale continet: sed  
conditionem etiam externam, qua pari atq; æquali frui in  
vita communi aliquibus non conceditur. Gal. 5. 12.

At turbatores Ecclesiarum, id est, schismatici & hæ-  
retici digni sunt abscissione. Ergo communi cum alijs fi-  
delibus conditione non fruentur.

### Rursus

Abscissio, qua politicè in schismaticos & hæreticos  
animaduertitur, rectissimè fit per magistratum.

Sacramentarij & contumaces præfracti abscissione il-  
la digni sunt.

Ergo à magistratu in illos iudicium illud rectissimè  
statuitur.

### LXXVII.

Seueritatem istam animaduertendi in fanaticos, ma-  
ximè Sacramentarios, non sunt pauca, quæ ab officio &  
conscientia magistratus exigunt.

### LXXVIII.

Primum ordines protestantium iam pridem, data Im-  
peratori fide, protestati sunt palam, se Sacramentariis lo-  
cum in suis ditionibus nunquam concessisse, nec concessu-  
ros posthac ullo tempore. Factum hoc est Augustæ in so-  
lennibus illis Comitijs die 22. Septemb. A. 1530.

### LXXIX.

In primis domus Saxonica à Rege Romanorum hac  
de re per literas admonita, fide sancta est pollicita, se quod  
ad profligandum ex his regionibus Sacramentarismum fa-  
cere queat, nihil omni studio reliqui facturam. Absit  
autem ut perfidiæ suspicionem in se cadere patientur ij  
Principes, qui satius esse existimarunt imperio cedere,  
fortunarum omnium ac vitæ iacturam facere, quam per  
impietatem ædem Dei perdere, aut religionem ullo mo-  
do prodere.

C. \*

Requi-

### LXXX.

Requirunt idem leges & iura publica. Nota est lex illa ab Impp. Theodosio & Valentiniano lata aduersus Arrianos, Manichæos, & alios quoscunq; hæreticos, quæ descripta habetur C. l. 1. tit. 5. l. Arriani. Item altera eorumdem Impp. in Nestorianos statuta C. l. 1. tit. 5. l. Damnatio. Denique tertia à Valentiniano & Martiano Impp. contra Apollinaristas & Eutychianos ibidem promulgata C. l. 1. tit. 5. l. Quicunque. His enim legibus de ciuitatibus pelli hæretici iubentur, nihil loci ipsis relinquendum esse præcipitur, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria: libros istorum publicè comburendos esse statuitur: Ecclesias & monasteria construere, parafynaxes & conuenticula agere, ad militiam aspirare, de hæretico errore disputare prohibentur: denique nisi reluctari legibus publicis, & spargere hæreses suas desinant, supplicijs etiam tradi iubentur.

### LXXXI.

*Liuius Dec. 3. lib. 5.* Iam cum in licentia vagandi circa religionem, ipsis etiam testibus ethnicis, plurima insint mala: nisi paulatim pessum ire religionem velint nostri homines, fieri nequit, quin cum Zelo sibi tandem cauendum esse etiam atque etiam existiment.

### LXXXII.

Quæ verò tandem rei etiam publicæ pax aut tranquillitas obtingere potest, nisi seueritatis rigorem in turbulentum hoc, ac factiosum hominum genus, & non nisi turbandis rebus omnibus natum, stringant nostri magistratus?

### LXXXIII.

Debetur hoc ipsi etiam seductorum multorum saluti, in quibus quandoque ex diuturna errandi consuetudine ita callum obduxit veternus, ut qui nunquam mansuetudine & tolerantia conuerterentur, non rarò terroribus perculsi facilimè ad frugem perducantur.

### LXXXIV.

Testatur hoc Augustinus Hippoensium ciuium exemplo,

emplo, qui à Donatistis hominibus inquietis, seducti, ad conversionem animorum forte nunquam appulissent, nisi Imperatorij mandati terroribus & vi seuerissimarum legum perculsi, locum dare meliori menti coacti fuissent.

### LXXXV.

Quām multos iam, inquit idem, ex Circumcellionibus Epist. 48. manifestos habemus catholicos, damnantes suam pristinam vitam & miterabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quicquid inquieta temeritate faciebant: qui tamen ad hanc sanitatem non perducarentur, nisi legumistarum (quibus exilia, multæ fanaticis istis indictæ fuerant) vinculis, tanquam phrenetici, ligarentur.

### LXXXVI.

At edixit Christus, Sinite vtraq; crescere ad messem. Matt. 13. Non magistratui: sed Ministris hanc esse legem latam re- 30. spondemus: nec omnem seueritatis modum: sed in vitam duntaxat & corpora sciuendi crudelitatem ibidem prohibita esse persuasum habemus.

### LXXXVII.

Fides, aiunt isti, non cogitur. Respondeat pro nobis Augustinus, Inueniatur foris necessitas, & sequetur intus voluntas.

### LXXXVIII.

Obijciuntur facta magnorum Imperatorum, qui Trip. I. 7. vnumquemq; credere ac Deum colere, sicut vellet, permis- c. 4. ferunt, nec fidei causa vim facere cuiquam voluerunt.

### LXXXIX.

His cum gentilitate res potissimum fuit, quos edictis compellere ad fidem Christianam velle, minus sanè inconsultum fuit. Docendi ergo prius fuerant, quām terrendi. Epist. 49. Terrere enim & non docere, præcipue nunquam in Ecclesia adhuc versatos: improba quasi dominatio videtur, teste Augustino.

### X C.

Arrianos, inquiunt alij, à Theodosio toleratos fuisse, comprobant Historiæ. Non imus hoc inficias: sed id factum est, cum hæresis illa in immensum dilatata, totum penè orbem Christianum occupasset. Impotentia igitur

C 3

magis

magis & necessitatis, quam voluntatis & consilij istud fuit.  
Quò eodem ne tandem res etiam nostræ nobis redigantur,  
mature cauendum esse pij omnes intelligunt & fatentur.

X C I.

A persecutionibus vera semper abstinet Ecclesia, ob-  
ijciunt aliqui: Et persecutionis tolerantia pro nota veræ  
Ecclesiæ vulgò habetur.

X C II.

Iterum pro nobis Augustinus respondeat: Si semper  
esset laudabile, persecutionem pati, sufficeret Domino di-  
cere, Beati qui persecutionem patiuntur, nec adderet, Pro-  
ter iustitiam. Item si semper esset culpabile, persecutio-  
nem facere, non scriptum esset in sanctis libris, Detrahen-  
tem proximo suo occultè, persequebatur. Aliquando ergo &  
qui eam patitur, iniustus est, & qui eam facit, iustus est.  
Nec est impietatis: sed potius humanitatis, crimen per-  
sequi, ut homo liberetur, ut loquuntur Canones. Aliqui-  
bus illa animo insidet opinio, Per mansuetudinem tolerati  
errantes, conuerterentur fortasse.

X C III.

Augustinus aliter sentit: Demus operam ut pernicio-  
sissima hæresis ex Ecclesijs auferatur, quæ semper simulat  
Pœnitentiam, ut docendi in Ecclesijs habeat facultatem,  
ne si aperta luce se prodiderit, forâs expulsa moriatur.

X C IV.

L.7.e.15. Addo & illud Ambrosij, Dum latet, serpit hæretico-  
rum perfidia.

X C V.

Cum argumentis nil proficiunt, ad lamentationes  
conuertuntur: Carnificinam conscientiarum institui; dissi-  
dia augeri: communibus hostibus gaudij & nouarum ma-  
chinationum materiam præberi: quietis Principibus mo-  
lestias cumulari: simplicium hominum fidem turbari, & si  
quæ sunt huius farinæ alia nugamenta, patulo ore effuti-  
unt. His omnibus ex nostra parte vna parata est Achillei  
planè roboris solutio, Contraria experientia, magistra ve-  
ritatis optima. De qua & gratulamur nobis, & ut diuturna  
illa

illa Ecclesijs nostris ac constans sit præsentis felicitatis cu-  
stos, Deum Opt. maximum ex imis peccatorum penetrali-  
bus inuocamus. A M E N.

Lutherus T. 4. len. Germ.

In der Vorrede auff den unterricht der  
Visitatorum fol. 334. b.

**D**er Teuffel kan durch seine gifftige vnu-  
nütze maüler kein Göttlich Werk vnge-  
schendet vnd vngeschabernackt lassen.

Idem T. 7. fol. 1.

Was der Satan vnd die seinen hierwider  
lichen vnd lestern werden/achten wir nichts. Es  
ist Gott vnd seiner Kirchen damit gedienet. Da  
begnuget vns an.

Fol. 3.

Wo aber etliche sich mutwillig dawieder  
sezen/vnd ohn grund ein sonderlichs machen  
wolten/wie man denn wilde Köpfe findet / die  
aus lauter Bosheit nicht können etwas gemei-  
nes oder gleiches tragen / Sondern vngleicht  
vnd eigenstünig sein / ist ihr Herz vnd Leben :  
Müssen wir dieselbige sich lassen von vns / wie  
die Sprech von der Zennen sonden: Und vmb  
jrent willen unser gleiches nicht lassen.

F I R I S.





Aug VI 63

ULB Halle  
003 877 892

3



5b.





**Farbkarte #13**

**B.I.G.**



17

DEVISITATI-  
ONE ECCLESIA-  
STICA  
DISPUTATIO  
IN QVA  
SVB AVSPICIIS DEI  
*Opt. Maximi*  
PRAESIDE  
GEORGIO MYLIO  
D. ET PROFESSORE  
THEOLOGIAE PRIMARIO,  
respondere pro virili  
conabitur

M. MICHAEL HOPFIUS ROT-  
tenburgo Tuberanus,

24. Martij, loco & hora consuetis.

I S 9 3.



IENAE  
Typis Tobiae Steinmanni.